

DE
ABORTUS
SYMPTOMATOLOGIA
ET AETIOLOGIA.

DISSERTATIO INAUGURALIS
PATHOLOGICA,

QUAM

AMPLISSIMI MEDICORUM ORDINIS CONSENSU
ATQUE AUCTORITATE

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSI,

UT GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE

RITE ADIPISCATUR,

LOCO CONSUETO PUBLICÉ DEFENDET

A U C T O R

EDUARDUS BEHRENS,

LIVONUS.



DORPATI LIVONORUM.

TYPIS J. C. SCHÜNMANNI, TYPOGRAPHI ACADEMICI.

MDCCCXXXIII.

Imprimatur

haec dissertatio ea conditione, ut quum primum ex officina emissa fuerit, quinque ejus exempla collegio libris explorandis praeposito tradantur.

Dorpati Livonorum d. xiv. Mens. April. MDCCLXXXIII.

Dr. Fried. Erdmann,
Ord. Med. h. t. Decanus.

D 16607

PIIS MANIBUS

PATRIS

OPTIMI AC DILECTISSIMI,

HENRICI AUGUSTI BEDEKEUS

NEC NON

FRATRI CARISSIMO

CAROLO GUIL. BEHRENS,

REGIS BORUSSIAE CONSULI ET MERCATORI

PRIMI ORDINIS,

HASGE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIQ GRATISSIMOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Introductio.

Normalis graviditatis finis apud homines incidit ex consueto naturae ordine sub decimi post conceptionem mensis lunaris exitum, seu in undequadragesimam vel quadragesimam hebdomadem. Per hoc certum temporis intervallum mulier uterum gerit gravidum, illoque transacto foetum expellit, qui tunc rite exultus extra corpus maternum propria vita vigere potest. Ejusmodi partus *maturus* nominatur.

Interdum autem accidit, ut partus prius, quam memoravi, incidat, uterusque praegnans foetum prius expellat; — qui partus ante terminum illum legalem incidentes, pro tempore, in quo intrant, pro varia foetus evolutione ejusque vivendi potestate, vario quoque modo ab obstetricatoribus nominantur.

Tres plerumque species varias partus immaturi assumimus: *abortum*, *partum praematurum* et *partum immaturum* stricte sic dictum, quae ab aliis autoribus aliter definiuntur. Quia hoc in opusculo praecipue de una specie — de abortu — agimus, liceat mihi de hoc primum dicere.

Abortum sensu latiori vocamus effectum abnormalis uteri gravidæ functionis, qua foetus ante legitimum partus constitutum tempus, eo tempore igitur, quo graviditas finem normalem nondum acquisivit, ex utero excluditur; *sensu autem strictiori* foetus humani et imperfecti ejectionem et exclusionem ex utero, ea graviditatis periodo, qua foetus maturitatem necessariam nondum adeptus, neque tali modo evolutus est, uti, commercio inter eum et matrem intempestive soluto, functiones sibi destinatas rite explere, et extra corpus maternum vivere possit.

A parto praematuræ distinguendus nunc est abortus sensu strictiori eo, quod partus praematuri nomine foetus exclusionem quidem significamus ante legitimum graviditatis finem, foetus autem hoc in partu ita evolutus est, ut ex utero eiectus propria vita vigere possit. Partus praematurus plerumque ab initio mensis octavi usque ad dimidiam decimi graviditatis mensis partem locum habet.

Cum *partu immaturo strictè sic dicto*, qui quoque in id graviditatis spatium incidit, quo foetus ex utero expulsus vivere nondum potest, abortus synonymus esset. Tamen discrimen statuimus tale inter abortum sensu strictiori et partum immaturum strictè sic dictum, ut — etiamsi uterque foetus vita frui non potest — illius (abortus) nomine partum significemus, qui fit inde a conceptione usque ad id graviditatis momentum, quo placenta nondum formata est; partus immaturi autem strictè sic dicti nomen huic tribuamus partui, in quo foetus inde a mense tertio usque ad mensem octavum extrahitur.

Multi auctores magis minusve ab his definitionibus dissentiunt, et abortus in genere nominant partus, qui usque ad dimidiam graviditatis partem intrant, in quibus foetus semper mortuus nascitur. — Hac in re, utrum foetus amplius vivere possit nec ne, discrimen quoque positum est inter foetum vitalem et non vitalem, quod discrimen — (hoc in loco commemorare liceat) — maximi est momenti in medicina forensi; quoniam in expulsionem foetus immaturi aborticidii culpa, infanticidii autem assumitur hoc in partu arte provocato, quo foetus adhuc vivere potest.

Hic praecipue de abortu agemus, quam ob rem, priusquam ad symptomatologiam et aetiologiam transeamus, primum nonnulla verba de abortus etymologia faciemus.

Etymologia abortus et verba synonyma.

Quod etymologiam attinet vocabuli Abortus, seu — uti praecipue medici veteres dicunt — aborsus, abortio, hujus nominis originem omnium jure deducere possumus a verbo: abortio, abortior, aborior. Plura invenimus in medicorum scriptis verba synonyma abortus, praecipue effluxionem (*εξρυσια*); quae tamen denominationes a nonnullis scriptoribus ita sensu strictiori sunt distinctae, ut effluxionem illum nominarent

abornum, qui primis post conceptionem diebus observatur; abornum stricte sic dictum, qui graviditate ad finem vergente, locum habet; praeterea discrimen statuunt inter has ambas denominationes et aborsum, quem primis fieri mensibus dicunt. Sunt etiam, qui perperam nomine abornus foetum ipsum exclusum adhuc immaturum significant, quare etiam a Romanis actio illa innormalis abortio, foetus ipse autem immaturus abornus nominabatur.

Graeci scriptores, imprimis Hippocrates et Galenus, etiam majori usi sunt vocabulorum copia, quae fere omnia synonyma sunt: *Φθόρος*, *ἀποφθορά*, *ἀπόφθαγμα*, *διαφθορά* (a *φθίρω*, corumpo); *ἀμβλωμα*, *ἀμβλωσις*; *ἐκτρομα*, *ἐκτροσις* (ab *ἐκτρώσω*, *τιτρώσκω*, *τρώω*, laedo, damnum infero); *ἐκβολή* (ab *ἐκβάλλω*, eicio). — Pro ovi tamen varietate et foetus egressu discrimen invenimus inter *ἐμβολήν* et *ἐκτρομα* in Hippocratio scriptis; *ἐκβολή* ei est ejectione foetus nondum formati sub ovi forma, intra sex primas graviditatis hebdomades; *ἐκτρομα* exclusio foetus mortui, sed jam magis formati et constituti usque ad hebdomadem decimam sextam graviditatis. Aristoteles *) abortum significat nominibus *ἐξάμβλωσις*, *ἀμβλωσις* (ab *ἀμβλῶω* abortire, abortum facere), *ἀπόλισις* (ab *ἀπόλλυω* solvere) et *ἐκτρομοῦσις* hos nominavit foetus, qui, absoluto quadragesimo post conceptionem die, expelluntur; *ἐκρυσίσις* (effluxiones) autem, qui primis diebus et quidem usque ad diem septimum, conceptione facta, protruduntur.

*) Aristotelis histor. anim. VII. 3.

Vernacula lingua in vocibus: Fehlgeburt, frühzeitige, unzeitige Geburt (quorum distinctiones jam enumeratae sunt), Unrichtiggehen, Mißfall, Umschlag — similia exhibet.

Francogalli: avortement, etiam fausse-couche (quamquam vox: fausse couche sensu strictissimo synonyma non est abortus, sed vanum indicat partum, exitum graviditatis falsae (fausse grossesse) et actum quo ex utero variae substantiae morbosae expelluntur, quae graviditatem mentiebantur, uti molae, hydatides etc. etc.)

Sed jam satis!

SECTIO PRIMA.

Abortus symptomatologia et decursus.

A b o r t u s symptomata in aliis majora, in aliis minora, in aliis plura, in aliis pauciora apparent, quod quidem pendet a graviditatis tempore, seu a periodo, in qua abortus occurrit, a decursu ipso citiore vel tardiore, a causarum, quibus evocatur, diversitate, ab aetate corporisque constitutione; et tali modo in variis casibus maxime sunt varia.

Quod tempus attinet, quo partus immaturus in genere intrat, gravidam quovis temporis momento et intra totam graviditatem, inde a con-

ceptione usque ad hebdomadem undequadragesimam, invadere potest; experientia autem nos docet, saepissime illum mensis secundi fine et tertiū initio occurrere, quo tempore inclinatio ad abortum in corpore femineo maxima est; etenim ex sex partibus praecocibus quatuor saltem hoc tempore editi sunt. Plura invenimus momenta, quae hoc tempore propriam ad abortum dispositionem gravidis tribuunt, cujusque ipsius phaenomeni causae in his momentis postitae mihi videntur.

1) Primo tempore foetus levis est, et circumdatus parvis vasculis ex ovulo germinantibus, quae cum progressis in uteri interna superficie membranaceam quandam massam formant, quae totam uteri internam superficiem occupat; secundi mensis fine initioque tertiū, quo tempore foetus jam magnitudine gaudet ovi fere aequalis et majori pondere, haec ovuli cum utero conjunctio minor redditur; nam vascula ex toto ovo germinantia, quae priori tempore conjunctionem ejusdem cum utero formabant, marcescunt et sensim sensimque absorptione dirimuntur, usque ad unum solummodo punctum idque in obtusiori ovuli parte, ubi, quae restant vascula, firmiora fortioraque sunt, majorem sibi parant ambitum et foetalem formant placentam. Videmus igitur inter mensem secundum et tertium conjunctionem ovuli cum utero debilissimam esse, quia ex maxima ovuli superficiei parte conjunctio cum utero tollitur, et eo loco, ubi placentam formatur, textura ut ita dicam conjungens adhuc tenera est et seriori demum graviditatis decursu ovulum firmiter utero inhaeret.

Propter hanc conjunctionem exiguam inter uterum et foetum, vi minima abortus hoc tempore exoriri potest.

2) Animadvertimus porro, uti frequentiorum hoc in tempore abortum explicemus, typum quatuor ut ita dicam hebdomadam in systemate uterino, qui haud exiguam vim in systema genitale exercet; quamvis enim in graviditate ex norma desinant catamenia, haud raro tamen accidit, ut consueto tempore, quo uterus non gravidus sanguinem evacuat, leviori causa admissa in graviditate ipsa nisus hic evacuandi intret, uterus in pristinum inclinet officium et foetum ejicere studeat. Interdum quoque primo graviditatis tempore menses sponte redire videmus, quo facto facile foetus quoque extruditur, quem uterus gerit. Abortus igitur etiam eo tempore facillime apparet, quo menstruatio intrare deberet.

3) Primis tribus graviditatis mensibus foetui pauca opus sunt nutrimenta, quia tarde accrescit, et menstruatione sublata materno in corpore sanguis accumulatur ejusque multum augetur; ipsa jam conceptione in omni generationis systemate major conspicitur vita et sanguinis affluxus ad haec organa et praecipue ad uterum vehementiore et copiosiore in gradu adest, quare hoc tempore quoque ex gr. vulnera non tam cito sanantur, quam in puerperio, quo succi rursus magis peripheriam versus tendunt, quod sudor copiosus et lactis ex mammas effluxus probant. Ex hoc majori sanguinis affluxu plethora quasi uteri localis exoritur, quae hoc tempore disjunctioni ovuli ab utero magis favet, quam ubi haec plethora non adest, quod seriori gra-

viditatis tempore apparet; affluxus enim sanguinis ad uterum tunc diminuitur, quia foetus, citius crescens, majorem nutrimenti copiam requirit, conjunctio ovuli cum utero durior firmiorque redditur — et uteri functio evacuari tunc sublata est.

4) Respicias denique ad uterum, sub finem mensis secundi graviditatis in pelvis cavitatem ita descendentem, ut, exploratione interna rite instituta, orificium facilius digito tangere possis, quam alia et quidem seriori periodo, ubi uterus jam adscendit. Hoc ipso tempore si foemina marito coitum non denegat, immo hic saepissime et turbulenter celebratur, mechanico modo uteri orificium inde irriteretur, et contractiones oriantur necesse est, quae mox ovuli cum utero conjunctionem solvunt, et foetum expellunt.

Duae quidem res abortum ejusque stadia constituunt: *ovi solutio, ejusque expulsio*; processus ille haemorrhagiam excitat, quia vasa sanguinea dirumpuntur et plus minusve sanguinis effunditur; hic autem contractiones doloresque graviores mitioresve efficit. Inter utrumque processum aut brevissimum temporis spatium intercedit, aut intervallum plurimum dierum, quin etiam quatuor sexve hebdomadam; tali modo primum stadium adesse potest, secundum ipseque abortus extemplo non sequuntur; processus autem secundus semper priorem auget et omnino ad finem perducit. Symptomata igitur, quibus comitantibus abortus ipse fit, talia sunt, quae ex ovuli disjunctione oriuntur, et quae pendent ab uteri contractionibus. Signa haec essentialia sunt; multa alia fortuita adhuc acce-

dere possunt, quae ex prioribus ambobus originem ducunt et pervaria sunt secundum aegrotae constitutionem et alias rationes. Abortus enim non semper dolor et affectus uteri localis et morbosa functio generationis systematis aliorumque ad hoc systema spectantium organorum aestimari potest et debet, sed saepe morbus universalis est, in cujus societatem organismus feminae reliquis ejusque functiones magis minusve primarie vel secundarie trahuntur; etenim pro amplo magnoque nexu, qui utero et praesertim systemati genitali, maxime graviditatis tempore, cum organismo et functionibus ejus gravissimis intercedit, abortus non diu morbus localis permanere potest, sed totum femineum organismum inimice afficere debet per mutuam omnium organorum inter se connexam et per eorum sympathiam, noxaeque, quae uterum, systema genitale, foetum, ejusque organa quae evolutioni praesunt, proxime affecerunt, simul etiam in reliquum organismum vim habent eumque in consensum adeo abripiunt, ut citius seriusve morbum efficiant universalem; vel hic efficitur his rebus, quae abortum sequi solent, uti haemorrhagia, magnis uteri contractionibus, nec raro acerbissimo cum dolore junctis ad ovum secretendum; vel abortum antecedunt interruptiones turbationesque et functionum quarundam et organismi universi, quae systema genitale, quod proxime afficitur, tali infestant modo, ut abortus accidat. — Symptomata igitur quoque pervaria sunt, et in variis systematibus et organis, imo in toto organismo multiplici modo se ostendunt.

Variis graviditatis periodis ovulum ejici potest et symptomata pervaria sunt, cum variis graviditatis mensibus non solum uteri fabrica, sed foetus quoque oeconomia non ejusdem sint conditionis; jam eo tempore, quo foetus sive pars vesicularis ovuli in uterum nondum descendit, priusquam ovulum in utero invenire possumus, quo in organo nil aliud adhuc apparet nisi membrana decidua, graviditas turbata potest. Praecipue hic casus intrat intra tres primas hebdomades, et symptomata similia sunt iis, quae videmus in metrorrhagia; attamen effluxus sanguinis majori in gradu apparet, sanguis ipse coagulatus et in glomerulorum forma ex utero ejicitur; membranae deciduae vasa cerni non possunt et primarium situm non obtinent, quare quoque in sanguine ejecto cognosci non possunt; tantummodo coagula animadvertimus, membranaceis partibus permixta, tunicae deciduae simillimis, saepius perdura, interdum autem, praecipue si per aliquod tempus in utero seu vagina retineantur, tali modo striata et in fibrarum forma, ut credere fere possimus, et massam quandam organicam evacuari. Praeterea symptomata adsunt irritationis uterinae, dolores in regione sacrali et lumbali, affectiones morbosae tractus intestinalis; interdum quoque febris, quae tamen semper adsit necesse non est; et febris symptomatice apparet ex doloribus et irritatione exorta. Haud raro ipsae mulieres, praesertim illae, quibus menses largiores fluere consueverant, nondum consciae conceptionis factae, abortum sese passas esse nesciunt, sed credunt menstruationem solummodo largiorem et majoribus doloribus

stipatam intrasse. Hoc autem, quod modo descripsi, abortus genus a veteribus medicis *effluxio*, *Engvris* nominabatur, et huc illa abortus species, quam Sieboldus *) descripsit, pertinere videtur, qua, aliquot diebus aut hebdomadibus, ex quo femina gravida reddita est, finitis, eo inprimis tempore, quo catamenia, vehementissimis doloribus stipata, redeunt, membranaceae, quae cum membrana decidua quandam habent similitudinem, expelluntur compages. — Sieboldus ad feminam quandam prae ceteris respexit, quae, cum primum infantem maturo edidisset partu et uteri prolapsu, fluore albo et molestiis hystericis et haemorrhoidalibus vexata esset, quadragies bis hac tentata est abortus specie, quae nunquam observata est, si ab alia menstruationis periodo ad aliam femina abstinuit a coitu.

Si ovulum, ovariis relictis, uterum petit, primo tempore omni cum utero caret conjunctione et tantum liquori, ex uteri parietibus exsudato, libere innatat; abortus, illo tempore procedentis, symptomata jam alia sunt; contractiones in utero intrant, dolores magis minusve regulares in regione sacrali et hypogastrica percipiuntur, functio organorum abdominalium, praecipue ventriculi, turbata est. Sanguis majori in copia ejicitur, in quo particulae substantiae cujusdam fibrosae inveniuntur, et exorta haemorrhagia, ovulum simul cum sanguine ex utero protruditur, parvaeque interdum bullulae, ma-

*) Siebold's Weiberkrankheiten, Band II. pag. 187.

ceratae quasi et vasis subductae pallidis, praesep fert speciem. Omnibus quae utero continentur evacuatis, sanguis adhuc effluit, usque tandem fluidum serosum sequitur.

Serius autem, ex. gr. tertii mensis initio, quo tempore uteri vasorum major est copia, vasaeque ipsa majorem habent ambitum et uterus gaudet organisatione ampliori, semper priusquam ovulum ejicitur, haemorrhagia et dolores ad partum per aliquot tempus adsunt; tunc ovulum aut totum sequitur, aut modo partes ejus. Uteri contractiones vehementiores jam sunt et cum majori dolore conjunctae; tota digestio quoque majori in gradu est turbata.

Ovuli velamenta si totius uteri superficiem internam jam superindunt et discrimen inter placentam et membranam deciduam jam majoris est momenti, dolores ad partum et uteri contractiones vehementiores sunt, sanguinis largior effluit copia, propter majorem vasorum evolutionem; etiamsi haemorrhagia thrombis, ex. gr. lipothymia apparente, formatis per aliquot tempus desinit, tamen contractionibus uteri novis reiteratur. Ovuli velamenta rumpi possunt, imprimis si placenta jam formata est — (ante ejus formationem integris membranis, raro articulatim, edi solet humanum ovum), foetus ipse cum effluente liquore amnii ejicitur; sed velamenta saepius per nonnullas horas, imo aliquos dies retinentur, donec ea quoque cum majori sanguinis coagulati copia, protruduntur. Hic commemorare possumus secundinas diutius retineri in abortu, foetu jam ejecto, quam in legitimo graviditatis termino, et quidem quo remotior a

tempore partus normali abortus est, eo difficilior secundinarum defectio fit. Rarissime autem tam diu retinentur, quam in casu, quem nobis Dr. Reichmann *) enarrat, quo secundinae in abortu trium mensium post hebdomades tredecim demum ejiciebantur. Placentam hoc in casu magnam, integram, odoris expertem et firmam fuisse dicit; quae signa nobis demonstrant illam, post foetum ejectum, adhuc vixisse. Nonnullis in casibus etiam placenta uterina se sejungit a placenta foetali, quae prius ejicitur quam illa; sed rarissime.

Videmus igitur abortus symptomata pervaria esse, pro varia majori minorive ovuli evolutione et pro ejus conjunctione cum utero firmiori laxiorive. Primo graviditatis tempore propter majorem membranae deciduae Hunteri crassitiam et maximum ejus connexum cum uteri vasis, et firmiorem ovi conjunctionem cum omni ambitu uteri interno, et hanc ob rem quoque, quia uteri collum crassum adhuc atque longum est et uteri orificium difficile aperitur, ovulum non statim, cum uteri intrant contractiones, ejicitur, et abortus hoc tempore plerumque gravissimis doloribus, periculosisque haemorrhagiis stipatur et tardius progreditur. — Inde ab tertii mensis fine, ubi vascula, ex omni ovo germinantia, ad unum usque punctum in obtusa ovi parte sunt resorpta, quo in loco quae restant vascula genuerunt placentam, abortus conjunctus est cum doloribus paucioribus, qui progrediente gravidi-

*) Husland's Journal, Aug. 1821.

tate magis magisque diminuuntur, quamquam haemorrhagia per varia est, prout uterus vasaque ejus majori minorive in gradu evoluta sunt, ipseque uterus majorem minoremve continet sanguinis copiam. — Ultimis mensibus et quo magis ad exitum properat graviditas, placenta non amplius crescit, sed tenuior et in dies, partu appropinquante, conjunctio ejus cum utero laxior redditur; hujus igitur temporis abortus cum doloribus paucioribus, minori intentione, et, priusquam foetus ipse ejicitur, cum haemorrhagia plerumque haud magna conjunctus est; abortus citius sequitur, non ita periculosus est, molestiaeque, quae eum comitantur, in partu normali occurrentibus similes sunt.

Abortus ipse vel subito, vel sensim sensimque procedit et ex omnibus jam nunc ab me enumeratis intelligitur, cur partus immaturus a quarto usque ad octavam mensem lunarem non repentiissime progrediatur, — semper fere tardius primo in tempore in prospectum veniat, — citissime autem gravidam invadat ultimis mensibus, quo magis ad exitum properet graviditas. At vero respiciendum est partim in dispositionem, partim in causas; num magis minusve fuerint violentae, quippe quibus fiat, ut vel subito vel sensim sensimque abortus procedat. Quo major dispositio, quo vehementiores causae externae adsunt, eo citius foetus quoque ejicitur. — Si ex abortus momentis occasionalibus repentina foetus remotio originem non trahit, per aliquod tempus quaedam symptomata instantis abortus periculum nunciant, quibus non neglectis interdum medicus abortum praecaveret, quod tamen non in

omnibus fieri potest casibus, quia interdum signa haec ex foetus morie deducenda sunt, quae symptomata antecedit et abortum evocat.

Symptomata omnia, quae vel praecedunt, vel cum foetus exclusione simul apparent, vel sequuntur, hanc ob rem et ad accuratiorem abortus cognitionem diligentius exponenda sunt. Sunt vero haec: coenaesthesia omnino mutata, gravidae aliter quam antea se habent, artuum insolita gravitas et lassitudo, animi demissio, moeror, tristitia, anxietas, vertigo saepius recurrens, dolores capitis et dorsi, agrypnia, syncope, somnus interruptus, nullus, inquietus, somniis terrificis turbatus; magna in genere perturbatio; frigus imo rigor artuum totiusque corporis, alternante aestu volatili, imprimis vero frigus partium genitalium; cordis palpitatio, pulsus frequens, respiratio difficilis; appetitus nullus, depravatus, lingua mucro obiecta, spurca, halitus ex ore gravis atque foetidus; ructus, nausea, et variae quibus digestionis organa laborant molestiae, sitis; dolores lumborum et coxarum; pallor faciei, adpectus tristis, oculi languidi, turbidi, interdum luridis circumdati orbiculis; varii priores morborum affectus, graviditatis comites, nunc subito evanescent; sensus oppressionis et plenitudinis, gravitas, tensio abdominis, cujus temperatura insolite deminuta est, quae sensationes omnes in dolores fere abeunt, qui brevi tempore vehementissimi et continui et intermitteutes circa regionem lumbarem et inguinalem, atque in ventre percipiuntur; externae partes genitales et vagina frigescunt, et omnem, qui proprius iis erat, turgorem amittunt; pressionis

tandem cujusdam ad anum et partes genitales sensus accedit, dum laxus dependet uterus, quam ob rem abdomen quoque collabitur et haud raro aegrotā laborat tenesmo, ex organorum vicinorum irritamento vel mechanico, vel dinamico exortio. In mammis quoque morbosae animadvertuntur mutationes; extenuantur, detumescent, flaccescunt, humor aquosus et serosus ex iis effluit: quod jam Hippocrati *) notum erat; dicit enim: mulieri utero gerenti si mammae repente extenuentur, ipsa abortit. Huc quoque symptomata pertinent, quae spectant ad foetus mortem, quam tamen non semper certa testantur signa: motus ejusdem, quem hucusque gravida percipit, diminutus et subito sublatus est; ventris tam attenuatio, quam frigus adest, simulque partes genitales et externas et internas frigus occupat, et in ventre ipso frigoris et gravitatis observat gravida sensum, et, in corporis motione, foetus quasi huc illuc delabitur; consensualia, quae graviditati propria sunt, symptomata nunc evanescent; mammarum commutatio intrat, ut jam supra memoravi; horripilationes frequentes animadvertuntur (secundum autores nonnullos horror alioquis vehementissimus gravidam occupat eo momento, quo foetus moritur.) — Si haemorrhagia quaedam vehementior abortum comitatur, scintillae ante oculos versantur, aurium susurrus, tinnitus, lipothymia, vomiturius exoritur et anxia redditur respiratio. Priusquam foetus ipse ejicitur, dolores in regione

*) Hippocratis spher. sect. V, 37.

dorsali et sacrali conquassantes antecedunt; contractiones incipiunt uteri, ex lumbis incipientes et per intervalla brevīa recurrentes, quae stipatae sunt doloribus maximis, qui, nisi vehementiores et magis pungentes essent, simillimi essent iis, quos in partu normali observamus. Porro etiam pressio animadvertitur vesicae urinariae, quam ob rem desiderium ingens urinae emittendae; urinae emissio quamvis frequentior, tamen difficilior est. Exploratio interna, rite instituta, docet, inferiorem uteri partem magis desedissee, et portionem vaginalem mollem, laxam una cum vagina dependere. Collum uteri crassum adhuc atque longum sensim sepsimque expanditur, extenuatur; externum internumque os uterinum gravissimis sub doloribus dilatatur, aperitur magis magisque, et membranae ovi aut partes foetus ipsius persentiuntur; nonnullis in casibus fragor quidam auditur in abdomine, quem exoriri dicunt auctores ex ruptura ovi membranarum; contractiones uteri semper accrescunt et vehementiores redduntur. Sic via patet effluenti liquori amnii, vesicam saepius in vagina jam prius ex ovuli tunica formanti, — et humori cuidam mucoso-seroso, interdum odoris gravis et foetidi; haemorrhagia ex utero existit, quae mox brevi tempore sistit, mox vero profusa redit, et uteri contractionibus augetur, et commixta est cum singulis partibus ovi membranarum. Foetus tandem ejicitur et serius citiusve placenta vel tota, vel ex parte excernitur.

Si autem abortus ex causis occasionalibus vehementioribus exoritur et tanta in gravidam agit vis, ut placentam omnino aut ex parte ab

utero sejungat — nonnunquam etiam dolores et gravitas quaedam in lumborum coxarumque regione, pressionis sensatio cujusdam insolitae ad inferiorem vaginae partem, nausea, cardialgia, horripilationes praecedunt; tunc stillicidium sanguinis ex utero accedit, quod effluvium serosi et sanguinolenti humoris cujusdam sequitur; qui humoris effluxus in vehementissimam haemorrhagiam paulo ante abortum transit. Quod haemorrhagiis his essentialis est. Interdum etiam una haemorrhagia abortum efficit et sanguis profuit sub doloribus conquassantibus in abdomine praecipue versus pubem et contractionibus uteri vehementissimis, donec foetus secundinaeque remotae sunt; sed plurimis in casibus — etiamsi per aliquod tempus desinit — redit iterumque redit, usque dum abortus in lucem venit. Haec sanguinis emissio originem ducit e placenta vel omnino, vel ex parte ab utero disrupta; et causa cur interrumpatur haemorrhagia illa, haec mihi videtur. Si ex parte et minori in gradu solummodo placenta soluta est, sanguis coagulum constituit seu, ut ita dicam, thrombum quendam interdum format inter partes jam non cohaerentes, qui per aliquod tempus mechanico modo metrorrhagiae finem imponit; sed hic thrombus impedit etiam, quo minus partes solutae rursus conjungantur. Levissimo corporis motu, quin etiam sine hoc et sponte quasi, ex gr. contractionibus uteri levissimis vel sanguine propellente, thrombi illi ejiciuntur, et, ejectis his, sanguinis effluvium denuo redit, quod rursus, coagulis novis formatis, sistit; quae etiam removentur coagula, et symptomata haec invi-

cem apparent; partes jam antea disruptae etiam magis sejunguntur, denuo sanguis prorumpit, uterus morbifice irritatur, contractiones fortiores existunt et foetus tandem ejicitur.

At vexatur atque concutitur adeo non semper mater gravida, sed, praecipue graviditatis mensibus serioribus, ubi foetus magis excultus est et maturo foetui similior, abortus propior est normali partui, ejusque symptomata cum iis, quae in partu normali observantur, magis congruunt; idem valet etiam de lochiorum fluxu, lactis secretionem et febre lactea, si haec intrat.

Priusquam ad aetiologiam transeo, permittas mihi, lector benevole, nonnulla verba de abortus exitu adjungere.

Abortus exitus.

A graviditatis tempore et ovuli evolutionis gradu abortus pendet decursus. Primis tribus graviditatis mensibus, ubi placenta nondum formata est, ovulum plerumque integris velamentis ejicitur; si foetus autem excluditur eo tempore, quo placenta jam formata est, tunicae rumpuntur, foetumque, si minoris est ambitus, in quolibet directione, ita ut, etsi abnormem situm teneat, versione et artis auxilio non opus sit, ipsa natura expellit; secundinae, ut jam supra dixi, per longius tempus commorantur in utero, quam in normali partu, earumque remotio eo difficilior est, quo longius abest legitimus gra-

viduitatis terminus, quia primis graviditatis mensibus placenta cum utero conjunctio firmior est. Saepius etiam, foetu jam ejecto, uteri orificium tam vehementibus clauditur convulsionibus spasticis, ut, quominus secundinae statim removeantur, impediant. Primis mensibus, ovuli membranis jam disruptis, foetus et placenta dissolvi et in forma massae cujusdam subfuscae et male olentis extrudi possunt; — quod nonnulli auctores referunt. Placenta etiam parietibus uteri adhaerere, ibidem nutrirī et crescere et massam carnosam formare potest, quo in casu rariore foetum jam ejectum, vel — si adhuc minimus et gelatinosus erat eo tempore, quo ejus mors intravit — in amnii liquore solutum esse crediderim. Talem placentaē disorganisationem molam nominamus, cujus characteristicum symptomata cavitas est, cujus internam superficiem membrana quaedam levis, reliqua amnii pars, obtegit; plures tamen molarum species habemus, prout haec vel illa ovuli pars degenerata est. Haud raro haemorrhagia non cedit, secundinis nondum remotis, quae hoc in casu removeandae sunt arte, uti uteri existere possint contractiones, quae haemorrhagiam finiant. Placentam nonnullis in casibus absorptione quoque remotam esse, Naegele nobis refert. Nonnunquam foetus vivus in lucem venit, sed propter organa ejus incompleta diutius vivere non potest; mors ejus serius oculus intrans, a majori minore ejus evolutione pendet. Foetu jam antea per brevius longiusve tempus, priusquam extruditur, emortuo, graviditatis quae affuerant symptomata evanescent; quamquam ipsius foetus mor-

tem non semper certa testantur signa, foetum extinctum esse colligimus, si insolita lassitudine mulieres infestantur, ultra quod putaveris languescunt, vires earum comminuuntur, si noctu incalescunt, si consensualia graviditati propria evanescent signa, si nausea vel vomitu, hystericeve affectibus feminae laborant; ex mammis plerumque vel serosus, vel lacteus effluit humor, e vagina ichor quasi opacus et male olens emanat, donec omnia expulsa sunt ovi rudimenta. Quin etiam foetus morte abortus non semper adducitur et casus nobis sunt*), in quibus usque ad finem graviditatis normalem in utero foetus servatus, tunc autem dissolutus et emollitus, sine putredinis tamen signis, ejectus est; hic ovuli tunicas non disruptas fuisse, nec aërem aditum habuisse oportet. Aliis in casibus**) foetus mutatus erat in substantiam quandam alienam, indurans erat, consistentiam fere lapidosam assumserat et in utero manebat usque ad mortem matris naturalem. Interdum***) etiam uterus, mensibus imo annis nonnullis interjectis, in inflammationem et suppurationem transit; abscessus formantur vel in abdominis superficiem, vel in tractum intestinalem vel in vaginam aperti, ex quibus, putredine foetus exorta, ichor cum pure commixtus effluit; quod saepius in graviditate extraneina et uteri rup-

*) Meissner, Encyclopädie der medicinischen Wissenschaften, Artikel: Abortus.

**) Ebendaselbst.

***) Ebendaselbst.

tura exoritur. — Quo modo se habeat abortus in graviditate gemina, postea in sectione: de causis, copiosius exponam.

Symptomata etiam quae abortum nuntiant, brevi temporis spatio, artis auxilio cito et apte allato, recedere possunt et graviditas in normalem relationem redire; sed huic praecavendo impar est artis conamen, si vis mechanica, quae eum provocat, subito irruit, magnasque turbationes in conjunctione foetus cum matre efficit, vel si causa omnino non potest removeri; si placentae solutio ad maximam jam partem facta est, vel si placenta sedem habet in uteri orificio, foetus jam mortuus, liquor amnii jam effusus est.

Sed et illud temporis spatium, quo peragitur abortus, diversum est; interdum ad foetum amovendum paucae sufficiunt horae; plerumque intra duos vel tres dies abortiendi negotium absolvitur; rarissime praegressis jam per nonnullas hebdomades abortus symptomatibus, ipsius foetus exitus tamdiu protrahitur. Hic maxime respiciendum est in graviditatis tempus, causas occasionales et praedisponentes, et alias res.

His omnibus nunc missis ad abortus aetiology progredior.

SECTIO SECUNDA.

De Abortus Aetologia.

Memoratu dignissimum illud mihi videtur, abortum apud humanum genus prae aliis mammalibus frequentius occurrere. Cujus rei causae vulgo quidem ponuntur in corporis humani conformatione, situ ac incessu erectis, quo cetera animalia omnia carent; uteri descensu qui secundo, ascensuque qui tertio mense graviditatis fit; porro in periodico menstruorum profusio, quod animalibus fere omnibus deest, atque in his, in quibus nonnulli autores profusivum quoddam simile se animadvertisse dicunt, minimo in gradu tantum apparet, — cujus menstruationis tempore graviditatis intermissio alienationes multas in utero efficit et praecipue feminis gravidis, quae insigni pollent sensibilitate, mutationes varias molestas et morbosas, variasque turbationes affert, quibus foetus ejectio facillime producatur; denique in ampliori, quem uterus per graviditatem cum ceteris organis et systematibus init, consensu, in aliis animalibus, ut agunt, non ita insigni, quo dispositio ad abortum in femina humana maxime angeatur; attamen etiam vivendi ratio effeminata, intemperantia voluptatum variarum et praecipue coitus, vestimenta quoque incommoda respicienda sunt, quibus morbi exoriuntur, quos contractiones, metrorrhagia et tali modo abortus saepius sequuntur.

Quod causas jam attinet abortus, ut in omnibus morbis, discrimen nobis statuendum est inter causas *praedisponentes* et *occasionales*. Quibusdam in casibus ex causa praedisponente solummodo abortus procedit, in aliis autem causae occasionales plus valent; discrimen igitur hoc maximi est momenti, quia abortus, ex causis occasionalibus, ex gr. ictibus, violentiis, concussionibus, mechanicis cum multo majori periculo sunt conjuncti, propter sequelas periculosas serius plerumque intrantes, earumque actionem vehementem in corpus femineum. Hanc autem, quam modo statui, dispositionem non eandem esse in omnibus feminis, veteres jam affirmarunt medici, quam sententiam fida experientia nostris quoque temporibus affirmat, cum aliae sint feminae, in quibus tanta est praedispositio abortus, ut, causis occasionalibus absentibus, intret, quae a nonnullis igitur autoribus praedispositio spontanea nominatur; — aliae, in quas jam causa occasionalis levissima, ex gr. animi affectus exiguus, brachiorum motus parvus, quin odor candelae extinctae ita vehementer in corpus agit, ut abortus sequatur; — aliae denique, quae causis occasionalibus gravissimis, ex gr. terrore, plagis ventri datis, validissimis remediis, immodicis motibus, infestatae, tamen maturum eniuntur infantem. Mauricianus *) casum nobis narrat, in quo femina septimo graviditatis mense, ut incendium in domicilio suo ex-

ortum effugeret, interiorum colligatorum ope ex fenestra se demittere conata est, sed cum lintea ei terrore affectae elapsa essent, ex tabulato tertio in viam lapidibus munitam decidit. Brachium quidem ejus fractum est, sed neque terror vehemens, neque casus periculosus abortum adducebat. — Quibusdam in casibus etiam exquisitione diligentissima et accuratissima nulla omnino abortus causa inveniri potest.

Si autem accuratius contemplamur momenta, quae ad abortum disponunt, magnum eorum invenimus numerum, quae singulari digna sunt attentione.

Causae praedisponentes aut *ex matre* aut *ex foetu* exeunt. 1) *Priores* (quae ad matrem pertinent) vel a) *universales* sunt, positae in toto organismo, in constitutione individuali, cujus effectus aut in uterum, aut in foetum ipsum se extendit; vel b) *locales*, affectiones quaedam morbique locales uteri organorumque, quae in pelvi sita sunt.

a) *Ad causas praedisponentes gravissimas totius matris organismi* pertinent: temperamentum sanguineum; constitutio irritabilis, sensibilitas systematis nervosi aucta, quae uteri etiam sensibilitatem ultra modum exaltatam fovet, qua fit ut feminae hac constitutione praeditae impressionibus causarum externarum admodum obnoxiae sint et ex levissimis allatis noxiis gravissima hujus organi turba atque inde contractiones existant. Sieboldus *) exemplum

*) Mauriceau observations sur la grossesse et l'accouchement des femmes, observ. 242.

*) Handbuch zur Erkenntniß und Heilung der Frauenzimmerkrankheiten, tom. II. pag. 292.

feminae, singulari sensibilitate instructae, commemorat, quae, cum insarmento illo musico, harmonica dicto, aliquis caneret, subitis correpta est uteri contractionibus et metrorrhagia, quibus provocatus est abortus. Ad habitum gravidae atque ejus constitutionem imprimis est respiciendum; nam mulieres laxae, debiles, mollis teneraeque texturae, delicati habitus et corporis subtilioris, ad abortum procliviores inveniuntur, quam feminae robustae, musculosae, firmae validaeque, quae animi pathematibus minus vexantur et minorem corporis sensibilitatem produnt. In illis enim haec fragilis, ut ita dicam, constitutio spectat aut ad totum organismum et universalem — aut praecipue ad systema uterinum itaque localis est; ubi universalis, haud raro hereditaria est, quo fit ut non solum filia, sed mater quoque, quin etiam avia foetum saepius servare non poterint; et ex illa hereditate, si nullam aliam reperire possumus causam, foetus detrimentum et abortum instare, saepius concludere licet. Quamvis absit, quem adumbravimus, corporis totius habitus, vel extemplo non cognoscatur, tamen in his feminis saepissime partialem et imprimis systematis genitalium vel laxitatem nimiam, vel rigiditatem videmus, conceptionem quidem permittentes, graviditatem longiorem vero non sustinentes. Haec constitutio vel hereditaria, vel congenita, vel per vitae decursum ex. gr. educatione luxuriosa, vita sedentaria (quod prae ceteris valet de feminis nobilioribus, vix corpus exercentibus sedentariamque per graviditatis tempus vitam agentibus) morbiaque, vel in graviditate ipsa acquisita est

momentis debilitantibus. Hoc loco commemoratum sit, feminas habitu quodam, qui ad virilem propius accedit, praeditas et *viragines* nominatas, saepius abortum pati, quam quae constitutionem vere muliebrem referunt. Causa in ipso viraginis corpore condita est. Respicias, quaeso, ad thoracis cavitatem, viri cujusdam simillimam et ad abdominis cavitatem, feminis propriae haud respondentem, et persuasum tibi erit, his assimilationis organis respectis, cur viragines hae graviditatem ad finem perducere non possint. Huic rei etiam accedunt uteri atonia minorque partium genitalium cultura; et fortasse quoque ipsa psyche accusanda est, cum feminae, hoc habitu indutae, minori saepe amore propagationis amplectantur officia. — Porro huc pertinent: habitus plethoricus, totius corporis atque imprimis partium genitalium, conjunctus cum debilitate nervosa et irritabilitate aucta, dispositionem ad haemorrhagias et vim uteri vitalem excitans ante tempus a natura constitutum; in his nimirum feminis, quae hac laborant plethora, sive per ipsam sanguinis copiam, sive per actionem vasorum auctam, vasa, quae uterum et placentiam intercedunt, dirumpi possunt, et irritamento a systemate vasorum ad nervorum systema abeunte, hoc systema irritatur et in utero oriuntur contractiones. — Localis uteri plethora, dum abest universalis, florida interdum aetate et in feminis succulentis et libidini deditis graviditate occurrit; hanc ob rem systema generationis reliquis vividius et uteri reactio haud raro tanta est, ut in imo ventre cujusdam gravitatis sensum et in pelvis regione pungentes provocet do-

lores. Ex his elucet, hanc uteri vasorum conditionem disruptioni favere. — Ad abortum disponit menstruatio saepius turbata et anomala, praecipue menstruatio nimia et praecox; impedit enim, quominus omne corpus femineam rite excolatur, cum humorum evocet jacturam et omni corpori plasticam eripiat vim; partes genitales illo destituuntur vigore, quo ad graviditatem absolvendam omnino opus est; — hoc quoque valet de fluore albo pertinaci, qui non solum totius organismi vires diminuit, sed praecipue quoque systema propagationis debilitat et aequè abortui favet. Sudores nimii quoque respiciendi sunt, qui corpori vires detrahunt et illud antea jam debilitatum esse demonstrant; — cachexiae, syphilis, scorbutus, hysteria alii-que morbi chronici. — Partus difficiliore, qui antecesserunt; aetas nimis tenera vel nimis protracta; si feminae matrimonium ineunt et iterum gerunt tenerrima adhuc aetate, quinimo interdum eo tempore, quo mensuus fluxus omnino nondum incepit, nec uterus legitimas illas metamorphoses jam transegit, quibus ad procreationem accomodatur et aptatur; aut aetate decrepita et iis annis, quibus retrogradam metamorphosiu patitur, et facultatem amisit procreationis negotii rite perfecte absolventi. — Aër alimentaque depravata. — Dispositionem ad abortum augent etiam mensium fluxus inter graviditatem ipsam, imprimis ejus initio copiosior proveniens, quippe quo facillime ovum seu foetus eluatur; vestimenta angustiora, quibus corpus, praecipue pectus et abdomen ita constringuntur, ut vix feminae respirare possint; vide-

mus ejusmodi vestimenta praecipue gravidis maxime nocere, si consideremus primo respirationem non procedere sufficientem ob impeditum pectoris motum, secundo interiores partes summo in gradu comprimi, qua re non tantum foetus incrementum impeditur, sed etiam uterus ad ejus expulsionem stimulat. — Deformitates columnae vertebralis et imprimis pelvis. — Adnotandum mihi videtur partus immaturos ac praecipue abortus epidemicos interdum observari, quorum Hippocrates jam mentionem facit. Hoc in casu maximam certe vim exercet aër atmosphaericus, frigus ex. gr. acre, nec minus aestus molestus atque urgens, pluvia tempestas cum frigore conjuncta; clarissimus ille medicinae pater aërem talem το Σεξον nominabat et refert, abortus praecipue existere tempore vernali sicco frigidoque, hiemem humidam ac tepidam sequente. — Tonitrua frequentia. — Quam mirae et quam subitae fiant mutationes in corpore humano per validos animi affectus, satis constat; sed videmus animi pathematibus, aliis eorum effectibus variis in organismum exceptis, etiam singularem quandam ad abortus praedispositionem provocari posse; etiam miseria, calamitates, timor, angor, bellorum turbae, hostium invasio et oppidorum obsidiones praesertim abortui epidemico favent; et eo tempore, quo hae molestiae grassantur, plures observamus abortus, quam alio faustiori.

Nonnunquam partus praematuri eduntur, quod non solum gignitur ex nisu propagativo in graviditate quam maxime excolto, quo foetus maturitatem suam justo prius adeptus est,

sed momenta etiam, quae non semper exquirere possumus, in foetus formationem et nutritionem agere videntur, quibus nonnullis annis serius citiusve maturescit; hoc illustrissimus Siebeldus *), observationibus edoctus, asseverat; tanquam argumentum anni millesimi octingentesimi undecimi aetatem memorat, qua plurimi fructus, poma, uvae, et frumenta solito prius maturescebant, quoniam etiam pulli ex gallinarum ovis, tempore legitimo nondum praeterito, excludebantur; aetate hac abortus etiam frequentissimi animadvertebantur et epidemice quasi occurrerant. — Ad causas praedisponentes etiam adnumerari possunt: nimius mammarum vigor vitalis per graviditatis tempus, lactis excretio praematura ex iis, qua sanguinis impetus ad pectoris organa ducitur, ab utero detrahitur foetusque nutritio tali modo laeditur; — conceptio brevi ante menstruationem vel inter ipsam exorta, quoniam inde aucta uteri sensibilitas et major sanguinis affluxus tenerum illum nexum foetus cum utero destruere possunt; aut conceptio durante fluxu lochiorum, aut lactationis tempore facta. — In dolens quasi hereditate accepta.

Peculiarem ad abortum dispositionem non praetereamus: expulsionem ovi seu foetus, vel semel vel saepius factam, priusquam tempus legitimum aderat. Constat enim nullius fere morbi semen gravius vel adeo irreparabile urgere, quam ex abortu praegresso relictum; et naturali necessitate quasi insita studet uterus mulierum,

*) Salzburg, medic. chirurg. Zeitung, Jahrgang 1812.

quae semel foetum, imprimis graviditate prima extrudebant, circa eandem graviditatis hebdomadem et eodem fere die, quo quondam gravida correpta erat abortu, facillime nulla causa progressa, adsueto munere irregulari fungi et foetum ejicere; et quovis novo abortu dispositio ita augetur, ut uterus tandem evolvere se possit tantummodo usque ad hoc momentum, quo abortus priores intraverant. Frequens hujus rei causa fortasse typus mutatus est; nam videmus etiam in feminis, si menstruatio aliquoties morbo modo post ternas hebdomades locum habuerit, menstruationis typum quatuor hebdomadam in postremum facile mutari in typum trium hebdomadam; et sic fortasse morbosa graviditatis interruptio quoque dispositionem quandam in systemate uterino relinquit, graviditati sequenti eodem tempore finem imponendi. Sic videbat Burns *) in femina aliqua ter et vicies tertio graviditatis mense, omnibus abhibitis remediis nihil efficientibus, abortum fieri. Nonne vero fortasse in hoc exemplo locus induratus in utero adfuit, qui illum non majorem amplitudinem adipisci patiebatur, quam quae ab embryo hujus ipsius aetatis requirebatur? Hoc, ni fallor, eo certius suspicari nobis licet, si gravida, praecipue ultimo ante abortum tempore, certo uteri loco dolorem magis magisque crescentem percipit, qui imprimis in uteri contractionibus vehemens est, foetu vero expulso rursus evanescit. — Simul vero in casu ejusmodi

*) Burns's Handbuch der Geburtshülfe, Band I.

respicendum esse ad sequelas abortibus prioribus adductas, debilitatem universalem, affectiones locales uteri partiumque ad eum pertinentium, ex gr. ligamentorum latorum, tubarum Fallopiarum et ovariorum, quae partes inter se et cum posteriore uteri facie concretae esse possunt, porro etiam ad concreciones facierum externarum organorum, quae peritonaeo circumdata sunt, cum partibus ad uterum pertinentibus et cum utero ipso, vel cum aliquo pelvis loco, fortasse etiam in vulnera, praematura ovi separatione in utero relicta et cicatrices iis ortas, quin etiam in restantes ovi reliquias, quibus praedispositio augeatur, — nemo erit, qui dubitet. Nam si talis adest uteri partiumque ad eum pertinentium conditio, facile apparet, illum tantum difficillime se posse evolvere, quin etiam ligamenta, si morbosa conditio in illis posita sit, uteri, quocum nunc arctissime juncta sint, extensioni non cedere, eorumque resistentia irritationem quandam oriri, qua per motus uteris se contrahat, foetumque expellat. Talis morbosa uteri, partiumque ad eum pertinentium conditio, quae saepissime adest, sed a perpaucis scriptoribus abortus causis adnumeratur, certo saepe abortus et praecipue ejus reiterationis causa habenda est; quod femina clarissima Boivin *) copiosius exponere studuit. Propter commentationis meae fines an-

*) Mad. Boivin: Recherches sur une des causes les plus fréquentes et la moins connues de l'avortement. Paris 1828.

gustiores hic non possum enumerare morbi historiam a femina illa allatas, multisque verbis ea referre, quae in lineis antecedentibus jam breviter complexus sum, et quae brevem summam omnium observationum a femina illa institutarum efficiunt. Hoc tantummodo commemorare mihi adhuc liceat, in plerisque feminarum, quae iterato abortu laboraverant, cadaveribus dissectis, semper mutationes organicas in systemate uterino, imprimis concreciones uteri cum partibus et organis vicinis, quin etiam indurationes, cicatrices etc. in utero ipso repertas esse, quae sine dubio modo ad certum quandam gradum uteri extensionem admittebant, tum vero, foetu magis magisque crescente, amplioerem uteri evolutionem impediabant, atque hac ratione eum in damnum irritabant et ad contractiones stimulabant, quas foetus expulsio ipsa sequebatur.

Quas degeneraciones et vitia organica sequelas fuisse inflammationis, quae etiamsi non acuta, tamen magis minusve chronica longius vel brevius tempus adesset, nemo dubitabit. In casibus supra allatis abortus primus fortasse causis fortuitis vel etiam dispositione hereditaria productus erat; et per eum — saltem per contentiones organismi universi et imprimis systematis uterini, irritationibus inflammatoriis praegressis, exortum esse aliquod organicum vitium credere licet, in quo abortuum sequentium causam nitebatur. Sed fortasse etiam jam primus abortus aliquo formationis vitio in utero et partibus eum cingentibus aducebatur, quod fortasse mensurationi turbatae, morboso irritationis sta-

tui, aliisque causis, quae vim infestam in systema genitale exercuerant, originem suam debebat. — Boivin, femina clarissima, praecipue adhuc refert, vitia haec organica saepissime observari in puellis junioribus, quarum sclerotica subcoeruleo colore transluceat, quaeque temperamento imprimis lymphatico, habitu scrophuloso praeditae sint; in iis potissimum, quae a tenera inde aetate jam viscerum abdominalium tumoribus infarctibusque, habituali fere alvi adstrictione vel diarrhoea, menstruatione praecoci, dolorifica — paucis ut dicam verbis — irregulari, fluore albo laboraverint, qui affectus innormales causae, sed in nonnullis casibus etiam sequelae morborum abnormitatumque systematis uterini esse possunt. Dubia diagnosi ubique fere explorationem internam vaginalem requirit, eamque accuratissimam, ita ut, digito attingens uterum, movere huic tentes, indeque comperias, utrum hic mobilitate sua naturali gaudeat an ea sublata firmiter liberiusve affixus haereat, quo in casu, conceptione facta, abortus plerumque intrat. Nonnunquam autem affecto uno tantummodo ovario aut tuba Fallopii contingit, facta conceptione, ut praegnavis uterus evolutionis legitima gradum quandam vel ipsum terminum solemnem assequatur. Connubium, quod ad ordinandum fluxum menstruum commendant auctores, haud raro spem in ipso positam fallit, ubi praedispositio adest ab abnormitates tales; nam coitus, quem salubrem putaverant, morbosam hanc diathesin potius provocat vel promovet, affluxum sanguinis in pelvis organa augens et vitam in systemate uterino

amplificans; et — conceptione facta — abortus, quia vitia illa organica etiam magis exulta sunt, evitari non potest, quem tali in morbo uteri et organorum annexorum statu symptomata periculosa ex. gr. haemorrhagiae, inflammationes earumque sequelae perniciosae plerumque comitantur.

b) *Ad affectiones locales morbosque uteri et aliorum organorum, in pelvi sitorum, quibus praedispositio ad abortum augetur*, pertinent: rigiditas nimia fibrarum uterini constituentium, quae minorem utero concedit expansionem ideoque foetui excolendo magnum affert incommodum; ejus contractilitas et sensibilitas justo major; laxitas, inertia, aut totius uteri, aut imprimis ejus colli; uteri atonia, aut congenita, aut leucorrhoea inveterata et copiosa, aut ex partibus prioribus difficillimis exorta. Acuta et chronica uteri inflammatio, rheumatismus et putrescentia, morbi uteri: scyrrhus, carcinoma, polypi, tumores, qui pessimam vim exercent in foetum; rarius tamen, si haec adsunt vitia, conceptio fit, quae si facta est, media plerumque graviditate foetus expellitur; — status uteri vitiosus in singulis locis: status haemorrhoidalis ejus venarum, steatomata et sarcomata, hydrops uteri, molae hydatidesque juxta ovum integrum; situs uteri iniqui et dislocationes, prolapsus, retroversio et antiversio; organica vitia, jam a me in sectione superiore commemorata, et uteri cum vicinis partibus concretiones, cum ligamentis uteri latis, tubis ovarisque, quae etiam inter se et cum aliis pelvis organis, quin cum omento et intestinis concreta

esse possunt; — porro ulcera, jam a me dicta praematura ovi solutione exorta et ex iis formatae cicatrices uteri; obduratae, tendinosae et ossificatae partes, quae insunt in uteri substantia; et placentae partes restantes; — partium vicinarum tumores ex. gr. ovariorum steatomata, quae, quod postulat foetus, spatium admodum comminunt. Organorum uterum ciugentium morbi, qui sunt nominatim vesicae urinariae inflammatio, vesicae calculi, tubera haemorrhoidalia. Forsan quoque nimia uteri expansio, foetibus pluribus exorta.

II. *Causae praedisponentes ex foetu proficiscentes* aut spectant a) *ad foetum ipsum*, aut b) *ad partes cum ei annexas, tum eum circumdantes*; causae hae agentes in foetum et organa ei annexa aut foetum ipsum necant, quem nunc, ut corpus alienum, uterus expellit; aut foetus evolutionem impediunt, dum sufficientem sanguinis multitudinem foetni non amplius adducunt, quae sanguinis massa in vasis uteri nunc accumulatur, qua re circulatio tardior redditur et difficilior.

a) *Ad causas praedisponentes ex foetu ipso proficiscentes* jam primum adnumerare possumus teneram adhuc et novam ovuli formationem ipsam, et quidem hanc ob rem, quia abortus praecipue primis graviditatis mensibus saepissime obvenit, ovulumque — propter hanc formationem subtilem — potentis nocentibus externis minime obstrare potest. — Porro huc pertinent: debilitas, morbi foetum in utero adgredientes, qui cognitu saepe difficiles, nonnunquam tamen causam constituunt, qua abortus

producitur; sunt etiam auctores, qui laesiones in foetu animadvertebant, ictibus et verberibus, matris abdomini illatis, procreatas ex. gr. contusiones, capitis ossium impressiones et etiam fracturas, — primae formationis vitia; saepissime quidem foetus immaturi formatione falsa laborant, quam rem saepius auctores causam partus praematuri assumebant; sed omnino necesse non est, quia formationis vitia, quae in foetibus immaturis reperta sunt, in iis quoque interdum inveniebantur, qui in normali graviditatis fine in lucem veniebant. — Nutritio nimia quoque et vegetatio foetus immodica respiciendae sunt; ex foetu enim permagno et summo in gradu valido motiones existunt vivacissimae, quae jam per se contractiones uteri innormales excitare valent. — Praedispositio, quae ex foetu ipso exit, etiam augetur, si foetus plures ex. gr. gemelli iisdem ovi membranis circumcluduntur, aut contra naturae ordinem positi sunt.

b) *Causae praedisponentes, quae ad partes vel foetui annexas, vel eum circumdantes* pertinent. — Respiciam, ut etiam hic quendam servem ordinem, ad placentam, funiculum umbilicalem, ovi membranas, et liquoram amnii, et gravissima tantum afferam vitia, quae, his in partibus reperta, abortus saepissime existunt causae.

Placentae ratione habita, in plura occurrimus vitia, quae, dum placentae turbant functionem, frequenter gignunt abortum: parenchymatis placentae desorganisationes variae, callositates et indurationes, quibus circulatio inter ma-

trēm et foetum impeditur, foetus moritur et expellitur; carnosa ejus destructio, qua justo majorem plerumque acquirit ambitum; vasorum ejus varices et aneurysmata, quae sanguinis favent stagnationi, et placentae summum interdum tribuunt volumen, quo infans capiat detrimentum; hydatides in placenta productae, et internae superficiei tumores simul pressione agunt; etiam minor, durior, crassior esse, et tali modo foetus nutritioni obstare potest placenta. Nocent sedis quoque placentae vitia; in orificio uteri ejus adhaesio vel juxta orificium (mala tristissima a medicis vario modo nominata: placenta praevia completa et incompleta, centralis et lateralis); vel si in genere placenta uteri superficiei internae infirmius adhaeret.

Funiculi umbilicalis vitia sunt varia, quibus pons quasi tollitur, per quem foetui necessaria ex matre adducuntur alimenta. Nimia brevitate laborare potest, ita ut graviori foetus motu placenta trahatur et ab utero avellatur; nimia illius longitudo quoque abortum provocare potest, cum funiculus umbilicalis, qui foetus collum et alias partes circumdat, norma brevior reddatur; aut foetum, dum ipsum firmiter circumdat, necare potest. Nimia potest esse ejus tenuitas, crassitudo, siccitas; contortiones nodique, funiculo umbilicali innexi, obdurations, sanguinis impediunt circulationem. Vasorum ejus varices, qui tanti interdum redduntur, ut rupturam minuentur.

Ovuli velamenta si aberrant a norma, abortum excitare possunt; quae autem his in tunicis occurrunt vitia, haec sunt: nimia tenuitas, qua

justo celerius rumpuntur; crassitudo nimia, destructiones in massam carnosam, duram, hydatiformem, et concretio velamentorum innormalis cum uteri superficiei interna, qua facillime tensiones et traciones tandemque contractiones uteri exoriuntur.

Liquor amnii peccat et abortum procreat, si quoad quantitatem et qualitatem discrepat a normali statu. Maxima hujus liquoris copia non solum tunicae dirumpi possunt, sed uterus quoque sic evoluitur, ut distendi amplius nequeat et ejus contractiones ante terminum legitimum graviditatis excitentur. Nimis exigua copia foetus minus ab injuriis externis defendit; foetus nutritio laeditur; quin vitium hoc interdum etiam efficit, ut foetus superficies cum ovuli membranis concreseat, et motionibus foetus majoribus facillime uteri contractiones intempestive evocentur. — Vitia liquoris amnii quoad qualitatem pro pessimae nutritionis causis jure sunt habenda. Sed hujus indolis vitis diu nonnumquam resistit foetus *), atque, sospite infante, putridus fere erat liquor. **)

Causis praedisponentibus ad abortum unam adhuc causarum speciem adnumerare possumus, quam nec matri, nec foetui, nec paribus ei annexis vel eum circumdantibus, sed *marito sive patri* tribuimus, quamquam perpauca autores talem causam abortus praedisponentem in patre assumunt. At mihi quidem non videtur absur-

*) Levret art des accouch. p. 46.

***) Haller element. physiol. VIII. p. 199.

dum, quippiam marito tribuere abortus causae. Si enim statimus officium spermatis virilis non solum in eo positum esse, ut uteri adaugeat vitam et hoc in organo alioem provocet processum plasticum, sed etiam ut ovulo primum praebeat stimulum primumque victum; si porro contendimus, foetus vitae provocationem in coitu celebrando non solum a matris fecunditate pendere, sed etiam quasi ex incitatione et inspiratione mariti in mulierem prodire, — et si nunc maritus, quamquam non sterilis, tamen debilis, cachecticus, variis morbis, etiam timore, moerore, ira exhaustus, sperma igitur invalidum, aquosum, nec talis indolis est, qualis esse debet ad uterum satis concitandum et foetum sanum foecundandum; — inspiratio illa virilis in matrem, ex qua vita germinis humani exoritur, vel (si aliter placet) uteri foecundatio non satis magna erit, et in systemate mulieris generationis tam exigua tantum activitas et vita provocantur, ut embryon seu foetus, vita quidem initio fruens, per longioris temporis spatium vitam protrahere non possit, atque in casu ejusmodi sane habemus aliquid, cujus patrem accusamus. Quod experientia quoque nos docet; si enim respicimus in illos viros debiles et libidinosos, viribus exhaustis, saepissime videmus, si, quod rarissime contingit, ex iis mulier gravida fit, hanc absque ulla manifesta causa abortire, et fere hanc solummodo ob causam, quod conjux effoeminatus in coitu mulieri non praebere potuit inspirationem necessariam ad vitam illam novam et maximam in systemate genitali excitandam, qua foetui ad vitam sustentandam opus est. Saepius

quoque abortientes mulieres de virorum amisso ardore conquerentes audimus, et haud sine jure. Quam ob rem viris exhaustis viribus hanc praedisponentem abortus causam omnino tribuendam esse arbitror.

Causae occasionales permultae sunt, vixque habemus vim, illatam corpori femineo, quam abortus secutus non sit. Quo gravius urget praedispositio, eo facilius causae occasionales abortum evocant. Illas ipsas pro rerum, unde proficiuntur, natura in *psychicas, physicas et mechanicas* dividere possumus.

Causae occasionales *psychicae*, ex gr. animi pathemata, cum laetiora, tum tristiora, totum corpus afficiunt, ut ira, terror, timor, moeror, odium, laetitia, gaudium summum inopinatum, ut paucis dicam, non solum animi pathemata excitantia, sed etiam deprimentia. Excitantia nervorum et vasorum systema ita afficiunt, ut aut uteri excitent contractiones, aut ex iis ad uterum oriantur congestiones, quae vasorum uteri rupturae et placentae favent solutioni. Deprimentia autem eo nocent, quod uteri deprimunt vitam actionemque, et ab utero detrahunt sanguinem illumque ad alias ducunt partes et tali modo foetus laedunt vitam. — Animi tandem commotiones aut repente uteri prosternunt vim et tali modo foetus tollunt nutritionem; — aut, dum nervorum irritant systema, extemplo uteri efficiunt contractiones. Baudeloque *) narrat, se Parisiis, cum

*) Salzburger medic. chirurg. Zeitung 1815. No. 59.

horreum pulveri pyrio servando correptum esset igni et magno cum fragore disruptum, brevi tempore ad sexaginta duos abortus advocatum esse. Sunt tamen feminae quae omnia ferunt animi pathemata, nec abortiunt.

Ad *physicas* pertinent omnes morbi, et acuti et chronici, quibus vasorum et nervorum systematis, et uterini in specie, officina vigorque laeduntur; febres ex. gr. synocha, typhus, febris intermittens; inflammationes locales gravidam invadentes, praecipue uteri, autamen quoque aliorum organorum ex. gr. cutis, qua inflammatione succorum impetus ad cutem augetur, et tali modo foetui alimenta necessaria ab utero detrahuntur; pneumonia, peritonitis, enteritis, cystitis; porro etiam abortum exortum esse tradunt ex inflammatione phlegmonosa pudendi labiorum; longum praeterea agmen morborum chronicorum, eorum imprimis, quibus reproductionis et irritabilitatis fabrica corrumpitur: diarrhoea, dysenteria, tenesmus, colica, alvi adstrictio, stranguria, convulsiones, epilepsia, spasmi hysterici, haemorrhagiae, praecipue metrorrhagia; quamquam negari non potest plures gravidas his morbis, iisque vehementissimis laborantes, non fecisse abortum. Porro ciborum potumque, vim vitalem systematis vasorum praeter modum augmentum, abusus, ut sunt fructus, potusque stimulantis et excitantes, quales sunt vinum, spiritus vini, coffeae infusum concentratum; ex quibus omnibus, si feminae iis abutuntur, etiam abortus habitualis exoriri potest. Causa sane frequentissima, atque ad abortum concitandum opportunissima, immodicus veneris

amor est, non solum irritatione locali partium genitalium cum eo conjuncta, sed praecipue etiam affectione totius systematis nervosi, et imprimis graviditatis initio et eo tempore, quo mensium fluxus intrare deberet, quia tunc sensibilitas in utero aucta majorque sanguinis impetus ad hoc organon adest, quo facillime tenera foetus cum utero conjunctio destrui potest. Refrigeratio et totius corporis, et maxime abdominis; drasticorum, abortivorum, pediluviorum, balneorum, primis potissimum graviditatis mensibus, venae sectionum usus nefastus, quin etiam hirudines, cruribus et labiis applicatae. Sed de his rebus postea! Exempla quoque nobis sunt, in quibus abortus exortus sunt ex odoribus grati ingratisque, gravioribus et levioribus; et quoque quarundam rerum foedarum adpectus sunt afferendi, e quibus in nonnullis casibus derivatus est abortus.

Causarum mechanicarum magnam habemus copiam; sufficiat tamen graviora tantum enumerare, ne fixos hujus dissertationis excedam limites, et brevi huic enumerationi pauca quaedam addere, quae prolata explicant. Huc pertinent: violentiae multae externae utero ipsi vel corpori in genere plus minusve damni inferentes; lapsus ex alto in ventrem, verbera, ictus, vehementiores corporis concussiones equitatione, cursu et vectura per loca aspera et salebrosa effectae; singultus, tussis, sternutatio, vomitus, clamores, nimis alvum deijciendi conatus, ponderum graviorum elevatio et portatio, et summae musculorum abdominalium in oneribus sustinendis contentiones; electricae conquassationes

et praecipue electrici in uterum ictus; cachinus; corporis motus vehementiores in saltando et saliendo. Moderatum corporis motum graviditas tempore prodesse, jam satis constat; et videmus rusticas mulieres, dum gravidae sunt, non abortire, sed facile ferre solitos labores, si modo ne nimis fatigentur, nec magno corporis nixu illos perficiant. Quo modo vero motus vehementiores damnum afferre abortivique favere possint, intelligimus, si in mentem nobis revocamus per motum omnem muscularem sanguinis circulationem accelerari et majorem sanguinis impulsum fieri in singulas partes. Inde jam intelligitur, quomodo motibus vehementibus, ut saltatione, cursu et omnibus jam supra a me commemoratis, vis, qua sanguis in vasa pellitur, nimia reddatur, imo tanta fieri possit, ut vasa illa tenerrima, quae chorion et placentam necunt utero, rumpat, unde metrorrhagiae et abortus exoriantur. Iluc accedit, quod plurimis his intentionibus non solum uterus, sed etiam reliqua viscera abdominis vicinis ejusdem musculis, abdominis tegumenta mobilia formantibus, coangustantur, et — ut plerumque fit — retento simul spiritu magis deorsum protrudantur. A percussione inferioris abdominis partis metuentum est, ne hac vi non solum chorion et placenta nexu cum utero destruat, sed uterus etiam inflammatione corripitur et quidem dilaceretur, si jam provecta fuerit graviditas. Porro totius corporis pressio angustioribus vestibus, restrictio pectoris thorace linceo vel abdominis ope fasciarum, quibus cavum thoracis tali modo angustatur, ut respiratio sufficiens non possit

procedere et abdominis viscera praeter modum comprimantur, quo non tantum foetus incrementum impeditur, sed etiam uterus ad ejus expulsionem stimulat. Memoratu hoc in loco dignissimum mihi videtur mos quidam mulierum Paraguanarum non minus ridiculosus, quam terribilis, quem auctor Hispanicus Don Felix d'Azara *) descripsit; illae nimirum praegnantes abdomen suum ab aliis eo usque pulsandum et premendum curant, donec sanguinis profuvium et tandem abortus existat. — Ad causas mechanicas etiam adnumerare possumus, quaecumque spatium, quod postulat foetus et quod utero opus est, ut ad crescens sine impedimento se extendat, comminuunt, ex. gr. partium vicinarum tumores eximii, ovariorum scatomata, quae saepius apparent; etiam pelvis deformitates, pressio ex pelve pessime formata; quae deformitates congenitae, sed etiam ex fractura et rhachitide exortae esse possunt. Hic juxta deformitatem et pelvis spatium diminutum etiam constitutio debilis et reproductio diminuta, quae plerumque simul adsunt, respiciendae videntur, quibus foetus nutritio diminiuit. Denique huc pertinent: rudis exploratio, portioisque vaginalis irritatio, aut digitis, aut instrumentis peracta; et alia momenta uterum irritantia, ex. gr. calculi renales et urinarii, prolapsus uteri, nodi haemorrhoidales inflammati; — spasmi, convulsionisque foetus; funiculi umbilicalis et velamentorum disruptio, etc., etc.

Foetus mors quoque pertinet ad causas oc-

*) Voyages dans l'Amerique meridionale.

casionales, quamquam necesse non est abortus semper sequatur; nam gravidæ gemellos gestanti raro quidem, sed nonnunquam accidit, ut, si uterus in una tantum parte affectus est, graviditas usque ad normalem finem perveniat et tum demum alter foetus ejiciatur, dum qui restat foetus antea jam emortuus et normalem evolutionis gradum adeptus non erat. Quin casum nobis refert Sieboldus trigeminorum, in quo solummodo unus foetus omnino evolutus erat, ambo autem alii vix magnitudinem habuerunt foetus trium mensium. Plerumque autem foetu uno emortuo, uterque simul removetur; rarissimis in casibus, altero foetu emortuo et per abortum expulso, alterius non turbatur vita, quem mater servat gravida legitimo partu edendum. Sed in graviditate simplici quoque foetus mortuus interdum aliquamdiu in utero retinetur, si, foetu quidem mortuo, ovulum increscere et nutrirī pergīt, quod tamen, ut plurimum, vitiosum habitum induit siye degeneratur; ovulorum ejusmodi Sieboldus plura exempla possidet. In uno casu etiam ovulum degeneratum erat in massam quandam carnosam, a gravida adhuc per sex menses gestam, in qua situm habebat foetus magnitudine duorum mensium; seu — foetus in simplici graviditate emortuus — non statim extruditur, ubi ovulum tali modo cum utero conjunctum est, ut embryi mors hanc conjunctionem tollere non possit. Exemplum invenimus in Gregorini dissertatione *), in qua

*) Gregorini dissertatio de hydropo uteri et hydatidibus; Hallae 1796.

casum a P. Fr. Meckelio observatum depinxit, ubi in ovulo hydatidioso decem mensium embryon hebdomadam decem annis suo inclusum aderat et hydatidum hoc circumdantium, uti videtur, conjunctio cum placenta tam firma erat, ut abortus non exoriretur. Ex his omnibus concludere possumus, semper necesse esse, si ex embryi morte abortus exoriat, antea conjunctio ovuli cum utero tollatur.

Ex causis supra a me commemoratis mechanicis multae disjunctionem et placenta separationem efficere possunt, quo in casu — rariori quidem — placenta ab utero solutam esse haemorrhagia ex utero nobis indicat, quae extemplo causam sequitur; saepius autem his omnibus momentis funiculus umbilicalis et ovuli velamenta disrumpuntur; saepissime vero, uti jam enarraui, congestiones ex iis ad uterum existunt, quas metrorrhagia sequitur, quae placenta ab utero disjungit, — seu uteri intrant contractiones, quod multi auctores nobis affirmant, contententes: abortum ex causis fortuitis facillime eo tempore existere, quo menstratio intrare deberet. Ex nonnullis harum causarum etiam contractiones exoriuntur spasmodicae, quae sympathice cum utero communicantur; aliae extemplo in foetum agunt, et compertum habemus ex majoribus matris animi pathematibus saepius motus foetus convulsivos exoriri mortemque ejus existere.

Simili modo *remedia quoque agunt abortiva*: emmenagoga, drastica, diuretica, sternutatoria, emetica, pediluvia, clysmata irritantia, venae sectiones in pedibus praecipue, orificii

uteri irritationes, ovuli velamentorum disruptio, pessariaque irritantia quoque huc pertinent, a Graecis formata ex. gr. ex radice hellebori nigri et melle et gum. euphorb. illita. Alia ex his abortivis remediis directe in uterum agunt, dum contractionibus circulationique in eo favent; alia consensualiter irriationem ex se ipsis exortam cum fibra uterina communicant, uti ex. gr. drastica, quibus sanguinis impetus in pelvis organa augetur, tenemus quam maximus exoritur, simul contractione actioneque diaphragmatis et abdominis musculorum, parietes ejus mobiles formantium, mechanice uterus irriatur.

Ultimam hanc actionem quoque emetica et sternutatoria in uterum habent, quae tamen conquassatione quoque magna et intentione totius organismi, quae cum eorum actione conjunctae sunt, saepissime placentam ab utero solvere et disjungere, et funiculum umbilicalem et ovuli tunicas dirumpere possunt. Pediluvii et venaesectioibus in pede sanguinis impetus in uterum et in partes infra eum sitas augetur, congestiones ad uterum ibidemque superpleiones generantur, quas saepius metrorrhagia sequitur, qua placenta disjungitur ab utero. Hanc ob rem quoque venaesectioes remediis abortivis adnumerantur, et jam Hippocrates *) asserit: mulier uterum gerens, vena secta, abortit, eoque magis si foetus grandior fuerit. Patendum est tamen non omnino et absolute verum

*) Hippocratis aphor. XXI, sect. V.

esse hunc Hippocratis aphorismum; nam quotidiana observatio docet abortum non semper sequi, si gravida sanguinem emiserit, multique auctores, et praecipue jam Celsus quoque nobis demonstrant, non in omnibus casibus ex pediluvii et venaesectioibus institutis abortum exstitisse; et inter se conveniunt nunc omnes experti practici, sanguinis emissionem non solum utilem, sed etiam necessariam esse et quasi remedium therapeuticum contra abortum, ubi gravida ex. gr. signa plethorae universalis et uteri in specie prae se ferat, vel largo menstruorum fluxui assueta fuerit, vel febre inflammatoria vel inflammatione topica affecta; dummodo caute et consulto institatur, non neglectis contraindicationibus graviditatis, ubi jam praedispositio adest ad abortum. Si vero gravida bene valet nec morbo correpta est, venaesectioes inutiles sunt et maxime nocent. Exemplum clarissimum unde elucet, non semper vena secta abortum intrare, Mauricianus *) nobis refert, in quo mulier gravida decies venam aperit nec tamen abortus supervenit; — et alia quamquam saepissime sanguinem ex brachio et pede miserat et emeticis contra apoplexiam eminentem usa erat, etiam non abortivit **). Ex drasticis, quae ad abortum evocandum sumta erant, saepissime diarrhoea, peritonitis et enteritis, convulsiones et mors exortae sunt, sine foetus expulsionem; ex

*) Mauriceau observations sur la grossesse et l'accouchement des femmes, observ. 644.

***) Ebendaselbst observat. 258.

emmenagogis, hanc ob rem adhibitis, ut congestiones ad uterum ejusque contractiones evocarentur, saepius metritis, ovariorum aliorumque intestinorum inflammationes existebant.

Ex his omnibus denuo intelligimus ex causis occasionalibus solis, sine praedispositione, abortum rarissime exoriri; simulque in memoriam nobis revochemus, quae in aetiologiae initio dicta sint. —

THESES.

I.

Tartarum emeticum, secundum systema Rasorianum, magna dosi in inflammationibus acutis pectoris propinatum, remedium censeo maxime anceps et periculosum.

II.

Mala physica a causa morali producta, remediis physicis solummodo sanari falsa foret opinio.

III.

Ureteres vias censeo praebere solas per quas in vesicam stillat urina.

IV.

Infantis motus graviditatis signum est certissimum.

V.

Nunquam puris formatio sine praegressa inflammatione.
